

99 F 246





ORATIO PANEGYRICA,

QVA

ECCELESIIS, PER D. LV.

THERVM REFORMATIS,

INDICITUR,

Cum

Auspicio Anni post natum Christum mille-
fimi sexcentefimi,

IUBILÆVS EVANGELICVS.


Pro cuius

SOLENNITATE MAIORI REPETI-
tur & celebratur memoria Operis singulariter mira-
bilis, & mirabiliter singularis, de initio, progressu,
& conservatione S. S. Euangelii, in hunc usq; di-
em, contra astum & factum Antichristi
Romani.

*Habita sub novo Anni currentis auspicio, in
illustri Pædagogio Stetinesi,*

à

Daniele Cramero, D. Pastore,
& Professore ibidem.



WITEBERGAE

Typis Simonis Gronenbergii.

M. DC



In Iubilæum Euangelicum.

Ruribus, & magnis Europa in partibus ut,
quos
Summa diu cepit Christianos nausea, rur-
sum hi

Extimularentur scelerata ad júbila Papa:
Nuper ab injusto dubiorum iudice raso,
Contra jus Domini, est dicta indulgentia justa.
Iustius at quantò, euge! CRAMERUS júbila, dudis
Ipse suis qua Antichristi de gutture raptis
Indixit Servator, io! dicenda reponit?
Huc huc accelera, Christi cui júbila cordi:
Iubilum, io! Euangelicum hoc perpende CRAMERI.
At tu, consilium dare dirum perge, novelle
Consiliarie, Christicolas Papa urat & asset.
Si, velut insanis Phariis aliquando Tyrannis,
Sic Papa nihil est vox & miracula IESU,
Hactenus in nobis tam clarè ostensa tuendis:
Baltica magna satis rabidis erit unda Suis.

M. Conradus Ruhelius, V Vitte-
tebergensis.



99 7246



Etiam nobis jubilandum est: etiam nobis tripudiandum & exultandum: Nobis, inquam, qui veræ Ecclesiæ hospites, & filii Evangelicæ matris germani sumus. Jubilandum est nobis; ejulandum est iis contrà, qui veræ Ecclesiæ hostes, Pontificiæ Ecclesiæ, hoc est, Ecclesiæ malignantium vel clientes sunt, vel tutores. Illi enim, siquidem ingruente hoc anno post Christum natū millesimo sexcentesimo, Centuriam post mille sexcentesimā claudimus, celebrant, ut audio, Romæ, Iudaica, aut gentili potius festiuitate, Annum, quem vocant Iubilæum: Ejulæum dicere volūt, opinor. Nam certè per Spiritus sancti gratiam & jussum jubulare non possunt, nos jussi possumus. Sic enim nobis, qui cladem & ruinam meretricis Babylonicæ, Antichristi Romani, & hisce nostris, & patrum nostrorum paulò superiorum, in hoc seculo, vidimus oculis, præcinit Spiritus sanctus: *Cecidit, cecidit Babylon* (quam etiam patres, Tertullianus, & alii Romam esse dicunt) *magna, & facta est habitatio demoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, quoniam una hora destitutæ sunt divitiæ illius.* Sic, inquam, præcinit, concinitq; nobis cœlestis chorus Hierarchiæ Ecclesiasticæ in supernis totus, sic jubet canere.

Nam Deus his annis centum, mirabilia fecit solus, & per vas organonque suum Divum Lutherum, vibrantem Spiritus sancti gladium, interfecit jam Antichristum, quem Iesus Christus illustratione adven-

*Collatio
Anni Iu-
bilei &
Ejulei.*

Apoc. 18:

”

”

”

”

*Cassano
stri Iubi-
lei.*

2. Tim. 2.

Reforma-
tio Evan-
gelica cō-
fertur mi-
raculis.

Josu. 6.

Judic. 16.

1 Sam. 17.

Esd. 4. & c.

Apoc. 18.

tus sui extremi. evulsurus est radicatus. Opus singula-
riter mirabile, & mirabiliter singulare. Nam confer
hîc mihi haud pauca antegressi mundi secula, confer
& pondera, nunquid hoc tantum opus, si maximè mi-
raculis istis Dei superioribus præferendum non sit,
postponendum tamen fiet ullo modo? Papam Roma-
num, Antichristum nominare, ejusq; mancipio solve-
re Ecclesiam, an minus id est, quàm populum Israëli-
ticum educere ex Pharaonis carcere? Papam Roma-
num cum Monachis suis è Germania, Anglia, Scotia,
Suecia, Dania, & nullis non regionibus aliis elimi-
nare, nōne id Cananæos, Amorrhæos, Jebusæos &c.
extirpare est? Ecclesiam Romanam evertere, non vi,
nō armis, sed virtute verbi, nōne id tubis Iosuaë clan-
gentibus Hierichontis muros & turres quassare est?
Papæ Romani bullas, bannum, vincula & jugum ex-
cutere, nōne id cum Simsone nerviceos funes, ceu
filamenta de stupa, rumpere est? Papam Romanum
non clava Herculis, sed D. Lutheri calamo proster-
nere, nōne id funda Davidis Goliathem dejicere, &
incipiti gladio caput ipsi præcidere est? Ecclesiam
pristino & Apostolico restituere nitenti, nōne id cum
Nehemia captivitatem populi Iudaici laxare, & ur-
bem sanctam destructam restruere est? Si ergo de illis
tantis Dei operibus cecinerunt Deo sancti *ἐπιβίβια* sem-
per, quis non reddat, de hoc etiam opere, Deo grati-
as immortales? quis non jubilet? quis non plallat
Deo? Ejulent, ut par est, hostes prostrati, & responde-
ant Spiritui sancto per Ialemum, quem præscripsit,
prædixit, inquiens: *Et flebunt, & plangent super illam Mere-
tricem*

tricem Reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, quia una hora venit
judicium. Quare verò fleant, lugeant? Quia Tecelius, Causa E-
julæi.
& id genus Stellionum vendentium olim merces pon-
tificiæ idolomania, stant jam otiosi, & cum mercibus
suis admodum rancidis exploduntur planè ex Eccle-
sia. Quid? quòd ipse hic annus Jubilæus, ex sacra fame
nundinationis ergò institutus, qua exponuntur, quæ
Romæ sunt venalia, Deus, cœlum, peccata, non sit Ibidem.
amplius tam quæstuosus, quàm fuit olim. Quoniam mer-
ces eorum nemo apud nos emit amplius. Inter rejectanea piis
habentur, jam similæ missarū, olea, unguenta, Chris-
mata, sales benedicti, purpuræ palliorum, & omne li-
gnum, & omnia vasa vel eborea, vel lapidea, serici &
coccini, & quicquid mercium promi condi indulgen-
tiarum, & id genus imposturarum, fabriles fabri, ex-
trudere solebant, id nunc trium numorum causa sub
hasta subit. Nōne verò id faciat istos nundinatores
ululare, ejulare, non jubilarè? Ergo, qui inter nos in
Ecclesia Dei hunc annum sine jubilo & Eucharistia
præterlabi sinit, hunc gnaviter oportet esse somno-
lentum, & apprimè Deo ingratum. Quin potius nos
ipso invicè excitamus ad laudem Dei, & grata ἀναμνή-
σε revocamus nobis in mentem, quantum δάθος ἀγαθῶν,
quod ajunt, Deus in nos congesserit, quòd Euange-
lium Apostolicæ nitelæ restituerit, & in hunc usq; di-
em conlervarit, tōtque machinationes, quas contrà
moliti sunt Dei hostes, benignè represserit.

Sed hîc nobis Nestora quendam, aut ducentena-
rium senem optârim, qui ex viva vegetaq; memoria
recitaret utramq; sortem, tam illam, qua regnavit ad-

*Invennda
nobis so-
luti Pa-
patus re-
cordatio.*

huc tyrannis Pontificia, quàm hanc, qua ejecta ty-
rannide ista, resplenduit iterum lux veræ Religionis.
Nestora, inquam, aut Ianum quendam hîc desidero,
qui duplici aspectu utramq; faciem sit contemplatus:
Cui ego, ingenuè fateor, quinquennali & Pythago-
rico silentio lubens assiderem peroranti. Siquidem
autem spes omnis voti hujus nostri concidat, decet
nihilominus nos posteros, ea, quæ per mutos Magi-
stros Deus in nostram possessionem transtulit, æqui
boniq; facere, & si maximè de tantis rebus dicere nō
valeamus, ut infantes balbutire, ne tamen magis mu-
ti quàm pilces, aut ingratiore cuculis, Deo, Eccle-
siæ, Reipub. imò vel adversariis nostris videamur.

Merebor ergo, mea quidem opinione, apud vos,
Reverendi, Nobilissimi, Consultissimi, Excellentis-
simi, Humanissimi Viri, & vos, Juventus lectissima,
facilè veniam, si vel ego, qui nec ætate, nec rerum co-
gnitione, nec facundia multum valeo, aliquid rerum
istarum antea etarum repetam, & huc in medium re-
ponam. Qua spe suffultus, non dubitavi hoc officiū,
quod vestrum est omniū, in me unum congerere. Sub
quo onere ne concidam, Pythagoræo symbolo jube-
mini *φορτίον συγκατατίθειν*, tollentem onus, animi benigni-
tate & candore erigere & sustentare. Ego, ut mihi id
oneris levius reddatur, non accumulabo huc omnia,
quæ toto hujus Centenarii decursu contigerunt, id e-
nim Æthna gravius: sed ea duntaxat, quæ ad solius
Ecclesiæ liberationem miraculosam pertinet, non di-
cam, sed perstringam, & non res, sed summas rerū de-
libabo. Ea, quæ ad artes, linguas, & Rempublicam
litera-

literariam pertinent, aliàs audietis. Tu, ô Spiritus sancte, infantem me fantem adjuva.

Quanta heu, quanta erat tyrannis, qua superiori, ante lucem Euangelii, seculo, summus Pontifex Romanus, ubi ex toto asse Antichristi locum occupasset, catenatã tenebat Ecclesiam! Cedat Cainica & Nimrodica rabies. Vincunt Antichristi furia. Cedat Ægyptiaca pressura, quæ oneri Antichristi comparata, levior est pluma. Cedant plagæ Ægypti, graviora erũt vulnera, quæ Papa, connivente Deo, non uni Ægypto, sed toti mundo inflixerat: Aquas salubres in sanguinẽ converterat: Fontes Israëlis lymphidos, amurca superstitionum & ἐθελοθρησκείας infecerat. Sacræ Scripturæ in pulvillis jacebant. Multi etiam docti in longam ætatem ne Biblia quidem viderũt unquam. Substituerat scriptis Biblicis Papa Ranas, mendaciter garrulas, quæ de vitis Patrum, maximam partem fictis, de Francisco, de Dominico, de Benedicto, juxta regulas Franciscanas, Dominicanas, Benedictinas, ex legendis Lombardicis, promptuario Exemplorum, rosario & stellario Mariali, libro Apum (rectiùs Gryllorum) meras fabulas, quibus Lucianũ longo post se relinquebant intervallo, coaxabant. Pios dolos: dolosas pietates scilicet. Ex quo furfure Cyniphes seu pediculi, non cutem, ut in Ægypto, sed cor ipsum penetrantes, mortalium axillis subnascebantur. Confessionarii & Prædicantes (quos sic vocabãt) ceu Muscæ circumstrepebant, & bombis bullarum suarũ, tintinnabulis horarum Canoniarum & Missarum, precularum, rosariorũque crepundiis, imò tinnitu

*Confertur
Tyrannis
Pontificia
cum pla-
gis Ægy-
pti.*

I. Plaga.

II. Plaga.

III. Plaga.

IV. Plaga.

tinnitu exactorum tributorum, & sancti denarii, au-
 res populorum omnium plus quam Vulcanicis malle-
VI. plaga. is obtundebant. Hinc pestis æternæ mortis, bubones
 desperationum, ex dubitatione de salute ortarū, men-
 tes, conscientiasq; hominum lacerabant, macerabāt.
VII. plaga Pontificius Bannus ceu grando & fulmen cœlitus e-
 missum, omnes omnium statuum ordines quatiebat.
 Et ne quidem ipsis Romanis Imperatoribus parce-
 bat. Ita Ottonem IV. Henricum III. Henricum V.
 Fridericum I. cum successore Philippo filio, Frideri-
 cum II. Conradum IV. *ἡμιθέως ἡρώαε*, potentissimos Cæ-
 sares, non tantum excommunicavit, sed & imperio
 deiecit Antichristus. Tanta erat vis & impetus tem-
 pestuosarum bullarum, ut, si quis vel apicem è bullis
 Papalibus raderet, statim incideret in Excommuni-
VIII. pla- cationis typhonem. Monachi ut Locustæ, orco emis-
ga. sæ, totū mundum perrepebant, ut quidam Francisca-
 norum Guardianus de unico suo ordine professus fu-
 erit, se per quadraginta provincias plus quam sexa-
 ginta millia nudipedum Monachorum in numerato
 habere. Quid numerassent reliqui Ordines obsecro?
 O immensum locustarū exercitum! ô densam Scor-
IX. plaga. pionum nubem! Nōne hinc ortæ sint tenebræ in
 terra? næ, plus quam Cimmeriæ, ut jam, quid jus, quid
 fas, quid æquum, nondum dico, quid sit vera religio,
 ignoratū fuerit penitus, adeò, ut hæc omnia etiā ob-
 nubilata, & profundè sepulta delituerint in opaco u-
 nius Papæ pectoris scrinio, ut de se primò gloriabatur
X. plaga. Paulus II. Neq; percutiebat tantum primogenitos
 Papa, sed gladio suo in totum terrarum orbem eva-
 ginato,

ginato, nunc hanc, nunc illam sanguinolentam exci-
tabat cladem, ut ne angulus quidem esset orbis terra-
rum, ubi hujus percussoris gladius campos non deal-
basset ossibus. Hæ erant illæ plagæ plûs quàm Ægy-
ptiacæ, quibus Papa totum mundum sibi substrave-
rat.

Quis hîc contrà eat? Reges gentium? Quid Reges? *Tyrannis*
qui omnes vasalli erant Pontificis. Imperatores Ro- *Papæ*
mani? Sed vestigia antecessorum illos terrebãt. Con- *mundoin-*
cilia? Papa supra omnia Concilia est, & non potest à *superabi-*
Papa ad Concilium, & ne ad Deum quidem provo- *lis.*
carier, ut Pius, impiè in Concilio Mantuano decre-
vit. Sacra Scriptura? Papa supra Scripturam est, &
Scripturæ judex. Angeli? Papa imperare potest ange-
lis. Ordo Clericus? Sed hi ut squamæ cohærent, stri-
cto & haud interrupto ordinis nexu: Quicquid dicit
Papa, velint nolint, dicunt Cardinales. Quicquid il-
li; Archiepiscopi: quicquid isti; Episcopi: Ex quorû
omnium arbitrio jam stantq; caduntq; sex Ordinum
omnium, Canonici, Prælati, Abbates, Archipresby-
teri, Presbyteri, Sacerdotes, Archidiaconi, Diaco-
ni, Lectores, Cantores, quid multis? Regulares, ir-
regulares, religiosi, irreligiosi. Atque hæc hominum
portenta vinculis decretorum & decretalium sic inter
se erãt compacta, coacta, conglutinata, ut imus cum
supremo, & summus cum imo, caput caudæ, nexu
intermedio tam arctè cohærent, ut uno articulo sua
sede moto, tota mundi machina moveri videretur.
Non Dædalum dixisses hæc αὐτόματον μηχανήν regni Pon-
tificii, sed satanam ipsum, omnium architectonum

B

archi-

architectonem in infernali officina fabricasse. Magistratus politicus nisi ad stupendum Pontificis velle, tanquam ad Gorgonis caput rigeret, remittebatur statim subditis fidelitatis iuramentum. Si subditi erant refractarii, pellebantur ab omnibus sacris.

*Solum De-
us impu-
gnat Pa-
pam.*

Rebus his ita stantibus, quid Deus? Certè, nisi minuta fuisset hæc potestas, ipsi cælo bellum indixisset Pontifex. Quod ne fieret, constituit sacrosancta Trias, deponere potentem de sede, juxta vaticinia longè antè à Christo, Euangelistis, & Apostolis edita. Expectabāt desideratissimè eventum vaticiniorum minores, ii maximè, qui Reformationi instanti erant proximi. Et ut tantum de Centuria post Christum decima quarta dicam, bone Deus, quot gemitus, lacrymæ, suspiria cum Prophetico spiritu prolata, de mox mox detegendo Antichristo, qui Romæ sederet, audita sunt? Franciscus Petrarca increpat servilem abjectionem Cæsarum; & insatiabilem libidinè dominandi, contrà, in Episcopo Romano damnat. Iohannes Hufs, Anser, vaticinatur de Cygno, post decursum centum annorum venturo. Hieronymus Savanarola prænunciat, paulò post venturū Reformatorè, cui *σὺ γὰρ* Hieronymus de Praga, mira *παρρησία* taxat sedem Antichristi. Iohannes Purneus, Anglus, Romam, diaboli prostibulum, & Antichristum Papam, vigore vaticinii Apocalyplici, cap. 17. deturbandum præmonet. Iohannes Ceisersbergius, Maximiliano charus, septem annis antè, prælaga mente Reformationem prædicit, & cum longo suspirio optat, ut diem ipsius videre queat. Iohannes Hilteni-
us,

us, quem Apologia Augustanæ Confessionis virum
cordatè pium prædicat, Isenaci in carcere vaticina-
tus est, venturum post annum sesquimillesimum deci-
mum sextum, quendam alium, qui everfurus sit mo-
nasteria funditus. Non addo plures vates & testes, ha-
bet aureum speculum sã multos.

*Tit. de vo-
tis Mo-
nasticis.*

Agè ergo, quia stat divina de Reformatione sen-
tentia, & designatus est annus, prodeat tandem Re-
formator noster. Ecce prodit Anno 1517. Monachus
quispiam, Augustiniani ordinis, Doctor, Juvenis an-
norum triginta quatuor, cui nomen est Martino Lu-
thero. Quid? ánon Cardinalis est? ánon unus trium
Patriarcharum? ánon Archiepiscopus? ánon Prin-
ceps? Monachum dico, natum humili loco, ex plebeis
parentibus, ope, opibus, autoritate omni destitutum:
ille ille Thefibus suis valvis templi aulici VViteber-
gæ ad Albim affixis, involat summum Pontificem,
qui indulgentias suas, pro Majestate ea, quam Vica-
rius Christi, & Deus terrenus habebat, venales abun-
dè exponebat sesquipedalibus bullis & ampullis ver-
borum, per emissarios suos, ex quorũ grege imprimis
Tecelius erat, chlamydatus & loricatus miles Papa-
li majestate, gigas animo, lingua, calamo impudens,
mendaciis luxuriã, Archiepiscoporum, Moguntini
præsertim, oculus: imó totius Hierarchiæ Romanæ,
& Imperii Romani cliens. Quis tibi nunc sensus, Lu-
there? Hic me exclamare oportet: O mi frater, vade
in tuam cellam, & ora miserere mei Deus. Sic Cran-
tzius cùm primas Lutheri positiones vidisset, dixisse
fertur. Et Monachus quidam Bitterfeldensis, cùm e-

*Martinus
Lutherus
quis.*

asdem primus legisset, in risum versus, Eho, inquit-
bat, illéne venit, qui facere debet?

*Facinus
Lutheri.*

Sed alea jacta est, cadat, utut velit. Triumphandū
est Luthero, aut moriendum. Papam Ecclesiæ caput
absolutum non agnoscere, Scripturæ, Conciliis, pa-
tribus subicere, Indulgentias ejusdem ne pili facere,
extra Ecclesiam eliminare, & illis Scripturam oppo-
nere, Aquinatem repudiare, paulò pòst Missam mis-
sam facere, nónne id facinus funesta sit morte pian-
dum? Tetigit enim Lutherus coronam Papæ, & ven-
tres Monachorum, dicebat Erasmus. Nam hi verè
ventres erant, & sunt, ubi ubi sunt, in quos illud Apo-
stoli ex Epimenide torqueri sine difficultate potest:

Tit. 1.

ψεύσαι αἰί, μίνοχοι, κακὰ θηρία, γασίρες ἄσγαί.

*Doctores
Pontificii
Crabrones*

Itaque Lutherus tantum tentans piaculum, &
crabrones, quod ajunt, excitans, incidebat statim
in Crabronum aculeos. Dicebat Xenophon: ὄρω δ' ἐγὼ
ὅποσοι σφῆκαι θρασύμ βάλονται, ὑπὸ πολλῶν τυπόμενες. Video ego
eos, qui crabrones eximere ab antris suis volunt, à
multis crabronibus feriri. Proinde turma quædam
horum crabronum, ex uno quasi specu, in hunc mi-
sellum Lutherum irruebat. Heu quantum stridebant,
& aculeos acuebant, Iohannes Eccius, Theologiæ
Doctor, Cochleus, Lindanus, Hofius, Campegius,
Caietanus, Cardinales, Hochstratus Inquisitor hæ-
reticæ pravitatis, Sylvester Prierias, Palatii sacri Ma-
gister, Latomus, Erasmus, Storck, Emser, Theologi
Lovanienses, Colonientes, Sorbona Parisiensis. Quid
Scholares narro? ipse Rex Angliæ, Henricus Octa-
vus, aliiq; Principes paulò pòst, in hunc Monachum
Lutherum,

Lutherum, calamos, non atramento tantum, sed & rubrica sanguinaria tinctos, stringebant. Quid verò hi omnes in Lutherum quæso conferebant boni? Sane multis illum sputis, fannis, sophismatibus, mendaciis, gravabant, sed homo *περὶ ἔργων*, ut palma, quò magè premebatur, magis assurgebat. Chalybs erant hi omnes Luthero; Lutherus Cos; quò magis ergo feriebant, eò largius ignem Veritatis eliciebant, Cos enim Scientiæ vexatio est. Nam non tentatus, qualia scit?

Sed principiis obstandum esse, mox admonebat Leonem X. ejus nominis, Papam, Maximilianus Imperator. Currentem tu quidem. Literis ergo, dicto citius à Pontifice ad Caietanum missis, Romam citatur Lutherus ad examen. Fridericus, Saxoniae Elector, b. m. Umbraculum Lutheri primum, jubetur hunc turbatorem illuc emittere: *Sed vos,*

*Vivere qui sanctè cupitis, discedite Romam,
Cuncta ibi cum liceant, non licet esse bonum.*

Ergo, quia Romam ire, & piè redire non dabatur, sistere se cogitur Lutherus in Comitibus Augustanis Caietano. Quid multis? Lutheri sententia rejicitur, indulgentiæ confirmantur, secundum, tertium. Nihil proficit hic Reformator Monachus; quicquid vel ad Leonem X. vel ad Carolum V. novum Cælarem, vel ad Status Imperii, vel ad Episcopum Moguntinum, vel ad Mersburgensem scribit. Et contrà, quicquid illi rescribant, Lutherus persistit, ut Herculis columna, in semel sua per verbum Dei bene fundata sententia. Gliscit lux Veritatis, aspirat lino fumiganti Spiritus sanctus

*Maxim.
Impera-
tor studet
opprime-
re Evan-
gelium.*

*Lutherus
damna-
tur.*

Libri Lu-
theri hæ-
reseos in-
simulan-
tur. & cō-
buruntur

sanctus, mox ignis è fumo excitabitur. Sed ut suffo-
cetur in primis favillis, Leonis factio est, qui ob id pro
autoritate Apostolica mandat Electori, ut libros Lu-
theri, quibus tam dira dogmata contineantur, præ-
properè comburat, & vel vita Autorem mulctet, vel
Romam captivum mittat. Satis pro imperio. Quod
quia declinat Elector, Lutherus à Pontifice filius sa-
tanæ proclamatur; libri ipsius hæreseos stigmatè in-
uruntur, & à legatis Pontificiis tandem igni commit-
tuntur. Quid contrà Lutherus?

Tu quoque fac simile, sic ars deluditur arte.

Ignis in-
extingui-
bilis.

Quare pari fervore & animi & foci, Bulla Ponti-
ficia nuperrima, & Ius Canonicum, à Luthero in ci-
neres vertuntur. Hæc acta sunt ferè primi triennii spa-
tio. Multi multa philosophantur de igni perpetuo &
inextinguibili, ego hunc ignè, quo Lutherus Decreta
Pontificia primus combulsit, perpetuum dixerim esse
& inextinguibilem.

Tentatur
Lutherus.

Sed quid si facinus nimis præcox sit, de quo ratio
reddenda sit Papæ & Cæsari? Erit certè. Et jam tum
Comitia cogebat Carolus V Vormatiam, quò &
Lutherus vocatur, sub salvo conductu. Itur. Exigitur
ibi, coram augustissima facie totius Romani Impe-
rii, Ratio librorum suorum à Luthero. Iubetur re-
sorbere errores. Errores nullos Lutherus noster a-
gnoscat, nisi ex sacra Scriptura arguantur. Id verò
admodum iniquū αἰτιμα videbatur Magistris nostris.
Res iudicata erat, antequam diceretur causa. Lu-
therus Hæreticus est. Sed si accusasse sufficiat, quis
innocens erit? dicebat Tertullianus. Trevirensis E-
piscopus

piscopus, & Principes alii haud malè cupientes, ut opinabantur, Luthero Syrenes sunt, qui blandè cantant, ut mutet sententiam in gratiam Cæsaris: ad quorum cantilenam, in extremis procellis Argonauta noster positus, aures obstruit, & neque amore, neque amarore se ad latum patitur moveri unguem. O constantia! Iccirco jam vadat & valeat Lutherus, & dicat, quemlibet esse fabrum suæ fortunæ.

Carolus pro officii sui ratione, ut persuasus erat, adjungit Ecclesiastico banno Politicum, & proscribit Lutherum, interdicit aqua & igni, addit diras, proclamat incarnatum diabolum, Hæreticum desperatum, contumacem, & ob id omnibus illum quacunque ratione & modo excindendum propinat. Memorabile, & ingens facinus, quo Carolus tantopere demulsi Leonem, ut favorem, quo olim Gallia Regem præ Carolo fuerat persecutus, in hunc Imperatorem converteret.

Carolus
Imp. pro.
scribit
Lutheris.

Hic jam videtur mihi aliquis acclamare illud à Iesuita affixū Epigramma, novum id sanè, sed & vetus:

Vtere jure tuo Cæsar, servosque Lutheri

Ense, rota, ponto, funibus, igne, neca.

Nullus dubita. Si quid ensis Cæsaris, si quid rota Romana, si quid pontus, si quid funes, si quid ignis possunt, id omne plenis plaustris, plena manu, plenis velis ad hoc Excommunicationis geminae tonitru, in Lutherum, ejusq; asseclas conferetur. Sed quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus. At, qui habitat in cælis, iridebit eos, & Domi-

Psalms. 2.
“
“
“

nus

,, *mus subsannabit eos.* Lutherus igitur, fulmine utriusque
1. Reg. 19. banni petitus, non tactus est, sed cum Elia, Elias al-
ter, ad declinandas Iesabelis furias, in Eremū, & cum
Euseb. lib. Iohanne, qui Domitiani sævitiam fugiebat, in Pat-
3. cap. 13. mum se recepit. Delituit ibi, sed non diu: Vbi ubi e-
nim erat Reformator noster, diu latere neq; poterat,
neq; debebat, adeò, ut vel ipse diabolus in sui perni-
ciem per Carlstadianam Iconoclasiam turbas dans
Carlstad *revocat* VVitebergæ, elicuerit derepentè Lutherum, inq; A-
Lutherū *è patmo.* cademiam post paucos menses retraxerit. Lutherus
VVitebergam reversus, longè ardentiori zelo, quàm
unquam antè, impulsu Spiritus sancti, caussam Dei
contra Antichristum agere incipit, cui iam astipulan-
tur Vrbes, Aulæ, oppida, tota VVitebergenlis Aca-
Astipula- demia, Viri ad miraculum docti, Schurphius, Phi-
lippus Melanchthon, Iustus Ionas, Nicolaus Amldor-
phius, Bohemi, qui huc usq; Hussiticas reliquias sin-
ceriores asservârant, & multi alii, qui abjectis com-
pedibus Babylonis, undatim affluebant, Iacobus
Faber Stapulensis, Doctor Bugenhagius Pomeranus,
quos honoris gratia nomino, quibus cum cæte-
ris, Tobias junior, collyrio librorum
Tob. 11. suorum oculos linivit, ut albugo ex oculis illorum,
quasi membrana ovi egrederetur. Et jam non unus
Lutherus, sed & cæteri operarii vineam Domini co-
lebant una opera: Lutherus plantabat, Melanch-
thon rigabat, Iustus Ionas putabat, Amldorphius
propagabat, Iohannes Dulcius & Pomeranus pam-
pinabant, Deus largiebatur incrementum. Fervebat
opus.

Quid

Quid verò aduersarii? id quilibet vestrū vel per
suspicionem conjiciat, nec enim possum, ut quidem
vellem, hīc carbasa Orationis meæ expandere, etiā
si mihi linguæ sint centum, vobis aures ducentæ, ut e-
go multa simul dicere, vos multa simul capere posse-
tis, singula persequi. Quicquid enim quicquid infer-
nus in intimo omnium abyssorum risco habebat re-
conditum, id omne ad unum Dei Euangelium retun-
dendum, frangendum, conculcandum, eructabat.
Pontifices, quorum alter alteri succedebat in locum,
succedebant sibi invicem in malitiam. Hæc regula Iu-
ris Pontificii est. Quid Leo egerit, paulò antè monu-
imus, & ut uno repetam verbo, Leo in hac causa
fuit & Leo, & κυκλώπηξ, sic enim apud Aristophanem
quidam dicitur. & λώπηξ, seu vulpes erat, quoties blan-
diebatur astuto animo Carolo V. tantum in pernici-
em Euangelii; Vulpes item erat, quando Electori a-
dulabatur, mittendo Rosam auream, tantum in per-
niciem Euangelii. Canis erat, cum canina mordaci-
tate & impudentia allatrabat & lacerabat libros o-
mnes, qui, antequam ederentur, non fuissent lecti ab
Inquisitoribus Hæreticis. Leo erat rugiens, qui cir-
cumibat ovile, quærens Lutherum, quem devoraret.
Sed tandem, ut erat leo κυκλώπηξ, ingressus ut vulpes,
dominatus ut leo, mortuus est ut canis, vigente vi-
vente Lutherō.

Succedit Adrianus, qui, etsi vix annum agit in
throno Romano, tamen, ut nihil non agat, Ordines
Imperii Noribergæ congregatos acriter arguit, quòd
obliti pristinae virtutis & fidei, tantum facinus Lu-
theri

*Pontifices
quid con-
tra Evan-
gelium e-
gerint or-
dine.*

Leo X.

Adrianus

C

theri

theri approbent, edictum Cæsaris de extirpando Lu-
thero despiciant, tantam rem tam negligenter agant,
jus, æquum, leges omnes, specie libertatis Christia-
næ projiciant, tamque lentè ad commune illud & do-
mesticum incendium restinguendum contendant. E-
jusdem ferè sententiæ literas ad Argentinensem mit-
tit Senatum, & se nulli vel sumptui, vel labori velle
ea in re parcere, aureis verbis per Legatos suos polli-
cetur. Et tandem, ne sicca morte descenderet ad or-
cum Adrianus, per Hochstratum Inquisitorem non-
nullos Neophytos in Belgico, Anglia, & Scotia, igni
dedit. Et hiisce, in medio cursu Adrianus corrui, Eu-
angelium irrui.

*Clemens
VII.*

*lib. de vi-
ta Pomp.
Col.*

*Jovius sic
loquitur.*

Adrianum excipit Iulius Medices, omnium scelerū
scelus, Spurius, Clementem VII. quasi minus clemen-
tem se appellans, qui ad Pontificatum venit, tanta
Seniorum Cardinalium mœstitia, ut non multos post
dies ex ægritudine animi conceptis morbis, Soderi-
nus ipse, & Crassus, itemq; Carvaial, & Fliscus peri-
erint, Paulo Iovio teste. Proh Deum immortalem!
Si Clemens VII. tam pestilēs est, ut primo suo accessu,
ceu Basiliscus quispiā, quatuor ejusdem secum natu-
ræ viros internecārit, quid ille non sit facturus contra
Euangelicos? Primò igitur inexpleta æstuans auri
fame, omnes sibi subditos Ordines affligit, Sacerdo-
tes inusitatis decimis onerat, salaria in Gymnasiis an-
tiquitus ex certo vectigali liberaliter constituta, libe-
ralium artiū Professoribus, cum perenni infamiæ no-
ta subtrahit. Quare verò? Primò, ut propriam patriā
Florentiā bello everteret parricida. Secundò, ut Lu-
theranum

theranum dogma funditus extirparet. Pecunias ergo
νεῦρα τῶν πρᾶχθέντων corradit per fas, per nefas. Deinde
Carolus ipsum invadit. Cur? quod VVormatiæ Lu-
thero fidem salvi conductus servasset, quod stetit
promissis, quod Lutherum ibidem non sacrasset igni.
Papæ! olim puniebantur fœdifragi, nunc Papa plectit
fœdicolas. Porro Campegium Legatum pretio & pre-
cibus instructum mittit blandè salutare & sollicitare
omnes Principes, ut Lutheranismum manibus, pedi-
bus, comprimant, conculcent. Idem in Austriam &
Vngariam contendit, ibiq; horribiliter sæviendo, asti-
pultores Lutheri, gladio, flammis, urit, secat. Qua
sua intolerabili truculentia percussit vulgi animos, ut
præeunte Muntzero, ad arma ruerēt, & cruentam mo-
verent seditionem, quod bellum Rusticum vocamus,
in quo plusquam sesquicentena millia hominum mi-
serè mactata sunt. Hoc sanguine, quem sitierat hæte-
nus, inebriabat se Clemens. Monetam cudit, ad pro-
dendum animi sui inexhaustum virus in Lutheranos
hac inscriptione: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Idem
paulò post fœdus inicit cum Gallo, quod Ligam vocāt,
contra totum Imperium Germanicum: Excommuni-
cat Cæsarem, movet ipsi bellum, tantùm ideo, quòd
Carolus nō videretur sat truculentus in Lutheranos.
Pax cum Cæsare rursus. Sed hac conditione, ut Lu-
theranos radicitus averruncet. Suscipit conditionem
Imperator, facit votum. Sic inflammat Imperatorem
Pontifex. At verò in mediis his flammis & furore
cogitur, quamvis lividis admodum oculis, intueri
hic Papa, Augustanam Confessionem feliciter edi, &

*Persecutio
Clementis
inclemens*

*Moneta
Clementis*

fœdus Smalcaldicum pangi, rumpantur ut ilia Pa-
pæ: Et rupta etiam sunt Papæ ilia, intérque immen-
sos cruciatus imi ventris inedia perit. Quo pereunte,
non peribat tamen, Dei beneficio, Euangelium.

*Paulus
III.*

Mox renascitur novum Hydræ caput Paulus III.
qui tubam belli Germanici inflatam semel, inflat de-
nuò, increpat Cæsarem desidiæ & socordiæ, cum ta-
men nullum aliud restare intelligat remedium, quàm
urere, secare. Sed & iste colligitur raptim ad inferos,
& eo ipso tempore, quo moritur, ut sanctis Angelis
negotium facesseret, ne sibi morituro adessent, in An-
glia mille quingentos & quadraginta sex Martyres,
mares & fœminas, comburi facit, cum quibus dum
negotium est Angelis, Lemures, cum Paulo quod a-
gant, sat habent.

Julius III.

Post illum Julius III. sanguinolentum suum in Lu-
theranos pectus, Moneta sic notata, prodidit: *Re-*
gnum, quod mihi non servit, peribit. Post hunc Marcellus,
petente Carolo & Ferdinando sumptus bellicos con-
tra Turcam; prius extirpandos Lutheranos, qui
Turcis longè pejores essent; reddidit. Sic judicat il-
le; sic judicârunt omnes, quotquot in hunc usque di-
em Cathedram Romanensem occupârunt. Et hi po-
steriores tres cum successore Pio IV. Conciliû Man-
tuæ primùm, postea Vincenti, tandem Tridenti ce-
lebrârunt, in quo nihil laude dignum præstiterunt,
quàm ut in propria causa judicarent, & parte altera
non audita, in fontes crudeli sub bruto anathemate
ferrent. Quorum omnium crudelitas tantò erat pe-
riculosior, quòd ipsum Imperatorem, nescio, an po-
tius

Conciliû.

tiùs vi, quàm fraude, manciparent jugo potestatis
Cathedralis, cui currenti subinde calcar addebant
Mastigiæ. Proinde Imperator nunquam non legebat
Comitia, in quorum omnium & singulorum actibus,
primum semper locum obtinebat Consilium religio-
nis, de extirpando Euangelio, & vindicando Papa-
tu. Sæpe diabolus induebat hîc pellem leoninam, sæ-
pe assuebat vulpinam.

Nam initiò hoc erat admodum periculosum, quòd *Mine*
minima Electorum Imperialium pars adhærebat Eu- *contra*
angelio; Cæteri Imperatori astabant. Itaque exhibi- *prote-*
ta jam Confessione Augustana, & Imperator, & re- *stantes*
liqui Ordines, decretum contra Electorem Saxonem
& paucos alios Protestantes, edunt minis & pericu-
lis æstuans. Brandeburgicus sic fulminabat: Nisi
pareant, fore, ut reliqui Ordines omnia Cæsaris gra-
tia velint, atq; faciant, jam enim data fide promississe,
fortunas omnes, sanguinem ipsum, atque vitam, Cæ-
sari se communicaturos. Bona verba quælo. Ad tan-
tas minas quid nostri? Nostri, corda animante Lu-
thero, dicunt: Spes nostra sola, CHRISTVS so-
lus: idq; Cæsari regerunt.

Vide autem, quid fecerit hæc immota in Chri-
stum fixa anchora: Non confundit sperantes. Quan-
diu enim Lutherus à primo exhibitæ Confessionis
Augustanæ articulo in vivis superfuit, solus habenis
precum suarum, & Ecclesiæ, cohibuit impetum tam
Imperatoris, quàm Pontificis, ne res in nervum belli
erumperet. Sicut enim fluctus maris rubri ad solidi-
tatem saxi stare jubebantur, & populo Israëlitico

transeunti cedere loco; Ita Deus Oceanum æstuantis Imperii Romani findebat, ex hac parte furentibus Politicis, ex illa Ecclesiasticis, interim sicco pede medium mare transeunte Ecclesia.

*Comitia
omnia cõ-
tra Chri-
stum sen-
sentias fe-
runt.*

Post Comitium Augustanum, quæ sequebantur, Spieræ, Ratisbonæ, VVormatiæ habita, quid volebant præcipui, quàm & Turcam & Protestantes (idem enim illis erat, sectari Mahometem, & confiteri Christum) excindere? Proficiebant, Deo retardante, nihil. VValdenses eo ipso tempore plus quàm beluina feritate laniare poterant in Gallia, Lutheranos in Germania non poterant, quicquid etiam molirentur portæ infernales. Pontifex Paulus etsi Conciliabulum coëgisset, tamen tam erat belli Lutherani cupidus, ut auxilia promitteret, peditum millia duodecim, equites quingentos: tantum ut inflammaret animum Cæsaris ad Martem. Quid? quòd & Monachus quidam Franciscanus, habita solenni ad Cæsarem Carolum, Ferdinandum Regem, Cardinalem Farnesium, Episcopum Augustanum, Granvellam, concione, sic fuerit debacchatus: *Potentissime Cæsar: quid cunctare? itan' officium tuum facis? Nimis herclè diu cessatum est. Iampridem oportuit rem esse confectam. Ornavit te Deus ingentibus beneficiis, teq; constituit Ecclesie Romanæ propugnacorem: quapropter mactes, exere vires tuas, & pestiferum illud genus hominum tolle è medio: nefas est, eos diutiùs intueri solem, Neg. verò dicas, te facturum, jam enim, jam, inquam, fieri id necesse est. Eho, quidnam ille videtur vobis dicere?*

Franciscanus tuba belli.

Ferte citi flammam, date tela, expellite CHRISTVM.

Dicite

Dicite auditores, agitur hinc Monachus satanam,
aut, an agit hinc satanas Monachum? Estne hic Mo-
nachus filius patris Homicidii, aut pater patris Ho-
micidii? Ego hinc iudicium interponere nequeo.
Hoc autem certo scio, ab illo temporis momento
exarsisse bellum Smalcaldicum. Quod, quampri-
mum Lutherus beatè excesserat, erumpebat in ma-
nifestas flammæ. Sic cum Luthero, die Concordiæ
defuncto, extinguebatur Concordia Imperii.

*Lutherus
moritur
A. 1546.*

Et nunc, ô cœlum, ô terra! Papa & Imperator
conspirant in unum, in panolethriam pusilli gregis.
Reginam pecuniam Papa bis centena millia flore-
norum subministrat, & Exercitum Italicum, Duo-
decies mille pedites, quingentos equites mittit in
menses sex: Ceditque Imperatori dimidiam partem
omnium reddituum Ecclesiasticorum, & Monastico-
rum in Hispania, quorum summa in quinque tonnas
auri excrevisse dicitur. Quid vis amplius? Habes
stupendam Antichristi prodigalitatem, non ad com-
primendos Protestantes, id enim verbis negabant,
sed ad restituendam & vindicandam libertatem Ger-
maniæ, & coercendos turbatores pacis, & defen-
dendos pacis studiosos. Dulcis fistula, sed aucupum.
Et, ne ullum scelus intentatum relinquerent, puteos
& fontes Germaniæ inficiebant per suos emissarios,
ut vel sic Protestantes è medio tollerent. Farnesius
ex Italia ad bellum Germanicum contendens, dixit-
se fertur: *Se tantam esse daturum stragem per Germaniam, ut in
Lutheranorum cruore vel natare possit ipsius equus.*

*Prodigia-
litas Papa
contra
Christum*

”
”

Scribant

Scribant, rescribant, hortentur, dehortentur, hîc Elector Iohannes Fridericus, illic Landgravius Hassiæ; scribant, quicquid velint, stat sententia: peribunt. Imò illis ipsis interdicitur aqua & igni; proscribuntur. Miserum! Sed hoc miserius est, quòd Executio committitur non hosti Ecclesiæ, sed hospiti, non inimico, sed Amico, non peregrino, sed vicino, sed cognato: idque sub hac specie, quia religionis causa hîc non ageretur. Miserrimum autem erat, quòd fœdere nonnulli exciderent, & votum Evangelio datum retractarent perfidè. Tota Germania ardet bello civili, plus quàm civili. Velitatur ex utraque parte. Sed quid loquor? aut ubi sum? Elector Saxonix improvisa pugna, sine pugna, dum sacre Concioni alsidet, superatur, vulneratur, & captivus sistitur Carolo. Quem sic Imperator excipit: *Nunc ergo tibi sum Cæsar? accipiam te pro merito.* Lapidibus videbatur loqui Carolus.

*Catastro-
phe belli
tristiss.*

Hæc est illa dies, qua Solis aspectus valde tristis, obscurus, pallidus, & veluti caligine quadam circumdatus stetit, ita quidem, ut plerique longissimè à Saxonia remoti, in Germania, Gallia, & Britannia, ignari quid ageretur, judicarent, magni aliquid portendi. VViteberga Vrbs, Schola, Cæsari se tradit. Quis hîc non gemat Fortunam pessimam in causa optima? O Sibylla Ducissa, tu quando pro marito tuo, Electore captivo, Cæsari supplex ad pedes jacebas, & pulla veste, profusis lachrymis, pro salute tui heri rogabas, tecum in uno pulvere jacere videbatur misera Ecclesia. Nunc ergo, ô satis est, satis

*Sibylla E-
lectoris
captivi.*

satis est! Quid satis? Etiam Landgravius, turbator
scilicet, in eandem conjiciendus est custodiam pari-
ter. Sed non pari vi bellica, verum lenociniis verbo-
rum, & aucupio. Nam Hæretico fidem servandam
non esse, improbus Antichristi rugitus est. Invitatur
hospitaliter, hostiliter capitur.

O martyres Iesu Christi, ô Principes afflictorum,
ô duces Confessorum fidei, ô comites veritatis, ô si-
gniferi sanctæ crucis!

Quid hîc jam vobis spei videtur ampliùs, Audi-
tores, cum duo illi præstantissimi Heroës, Patroni *Ecclesia
sub acie
novacula
est.*
Euangelicæ Veritatis paterni, sunt in compedibus?
Nihil. Nonne nunc necesse sit exspirare planè Veri-
tatem Euangelicam? Necesse est. Sanè si hîc de homi-
nis causa fuisset actum, actum fuisset de ipsius salute.
Nam post hunc Martem, arte cæpit insuper agere
satanas. Cudebat enim per suos Vulcanos, Pflugium,
Sidonium, Agricolam, librum quendam, quem I N-
TERIM appellabant, librum ex corrupto & integro *Interim,
vel inter-
religio.*
compositum, Nugigerulum, hunc qui non reciperet,
idem, quod hætenus diximus, pateretur belli exitiũ.
Displicebat hic liber Pontifici, displicebat & parti
sinceriori. Ita fit, ut, qui calidum & frigidum uno ore
spirant, invisi sint & satyris, & hominibus. Sed utut
hic liber displiceret Pontifici, efficiebat tamen, ut,
nescio quo perplexo fato, post interjectas varias tra-
ctationes novum succenderetur bellum: cujus initi-
um à Magdeburgensibus fiebat, procul dubio exten-
dendum

D

dendum

dendum in cæteros, nisi fata obstitissent. Magdeburgenses obsidione cinguntur, premuntur, anguntur à toto Romano Imperio. Vnámne Urbem tantam vim sustinere potuisse? Sustinuit, quamvis ægerrimè admodum, sustinuit tamen, & Executorem banni, Coriphæum belli, Ducem Megapolitanum, ducit captivum. Faustum diem! Hoc enim subito periculi remedio, subita salute, meliusculè Religio habere cœpit.

Magdeburgum.

Salve Magdeburgum, Idea Constantiæ, Pietatis oculus, filia Ecclesiæ germana, militantis Virtutis exemplar augustum: Tu, quæ à Virgine nomen habes, virago es, & virgineam servasti castimoniam, quàm sincerè, tam viriliter. Deus enim in medio tui vigilabat tandem, atque tolerabiles monstrabat vias, quæ restituebare paci.

Sed interim tamen, hoc adhuc vulnus sentiebat Ecclesia, quòd uterque Princeps in compedibus erant, & quidem alter ille Landgravius contra datam fidem. Quid fit? Attendite. DEVS Imperatori novum facessit negotium in Gallia, ut, quod ageret, haberet plus satis. Interea afflatu suo divino armat nonnullorum Principum (& quidem eorum, quorum auxilio & fide in superioribus machinationibus usus fuerat Cæsar) pectora, ut tandem, sepositis & abjectis omni arte, pretio, precibus, nisi aliter vellet Imperator, Marte utrumque Principem liberarent. Votis aspirat DEVS. Et tandem armis extorquent liberationem utriusque Principis, solvuntque captivitatem

vitatem quinquennalem bonis avibus: Restituunturque & Elector, & Landgravius Ecclesiae, Reipublicae, Populo, liberis, patriae, uno eodemque mense, bidui duntaxat unius intervallo. Insuper & Passavii Pax religionis religiosa religiosè statuitur: O insperatum, & unione signandum diem, tam candidum, tam pretiosum! Caucasus sit oportet, qui hinc non lætetur; cæcus, qui hinc non agnoscat singulare Dei miraculum, quo, ut socios Danielis in camino ardenti, Daniele inter leonum rictus, conservavit hos Evangelicos Duces.

Quantum, heu! quantum contrà stridorem & ejulatum putas Gryllos infernales edidisse tum temporis? Mirum, si non statim coacto senatu princeps demoniorum in hæc verba eruperit: Quia hac non successit, alia tentanda est via. Pax religionis conculcanda, laceranda, pessundanda est. Id decretum fuisse apud inferos, Anni subsequentes statim reddiderunt testatum in terris. Bellis enim hisce sopitis, & extinctis jam turbatoribus Regni, alia Ecclesiam adortus est via satanas. Et quia pulvis armamentarius erat exhaustus, pulverem atramentarium inter doctos & Theologos dispergebat, atq; inter Academias vicinas primùm, Lipsensem, Ienensem, VVitebergensem, per nōnullos Cadmæos fratres, plus quàm Thyesteæ excitat odia. Non fuit, me Christe, hoc bellum minoris periculi, quàm exhausta bella, Smalcaldicum, Magdeburgensè, Mauritianum contra Cæsarē, & Marchionis Alberti tumultus contra Episcopos.

D 2

Hoc

*Catastro-
phe belli
latissima.*

*Bellū The-
ologicum
& literari-
le.*

Schisma-
nici.

Antitri-
nitarii.

Neuseri
de Calvi-
niani ju-
dicium.

Hoc bellum literatum aut periculosius erat, aut æquè
damnosum. Quid enim, si hîc Schismaticos omnes,
quos satanas, vel statim ad initium sanioris doctrinæ,
vel inter tumultus bellicos, vel paulò post egurgita-
vit, & nunc hîc, nunc illic, ima summis, summa imis
permutavit, & quorum interventu cursum Euange-
lii quasi remora detinere annixus est, dicam, nōne
exhorrescas? Farinæ istius fuerunt Carlstadius &
Zvvinglius, Sacramentariorum Coryphæi, Anaba-
ptistæ, Enthusiastæ, & qui Schvvenckfeldio præside
utebantur, Antinomi veteres, novi, Osiandristæ, A-
diaphoristæ, Synergistæ, Substantialistæ, à Flacio Il-
lyrico orti, Stancaristæ, Majoristæ. Taceo hîc An-
titrinitarios, qui revixerunt in Transylvania, Lith-
vania, Polonia, qui sunt, Gregorius Pauli, Valen-
tinus Gentilis, Franciscus Davidis, Georgius Blan-
drata, Adamus Neuserus, qui Neuserus sic scripsit
propria manu Constantinopoli, D. Stephano Ger-
lachio, qui *αυτογραφορ* servat: *Nullus nostro tempore mihi no-
tus factus est Arianus, qui non antea fuerit Calvinista: Ser vetus,
Blandrata, Paulus Alciatus, Franciscus Davidis, Gentilis, Gri-
baldus Sylvanus, & alii. Igitur, qui sibi timet, ne incidat in Aria-
nismum, caveat Calvinismum. Sic ille.* Sed hæc obiter. Ta-
ceo hîc Apostatas, Staphilum, Franciscum de Spie-
ra, Surium, Pistorium, Streuberum, & infinitos ali-
os, item Franciscum Puccium, qui Epicureo more,
symbolo habent, pro honore & divitiis Deum, reli-
gionem, patriam, parentes, flammis dare: Quid?
nullam curare religionem. Qui licet nec inter se,
nec

nec per omnia cum Pontificiis consentirent, habebat tamen Romana Ecclesia in hac paropside dulce obsonium.

Et quod gravius erat, jam in dies successu annorum Monachi quidam novi, qui à Iesu Iesuitas, cum à Laiola rectius se Laiolitas nominassent, novum satanæ excrementum, assurgebant, hominum genus turbulentum, & sophisticum, qui lyncei alienorum vitiorum observatores, caninis dentibus, & virulentis calamis mox hæc, mox illa arripiebant, radebant, rodebant, quicquid puræ religionis erat obvium. Hi impostores triplici arte illustres sunt: Primò, Scholasticam juventutem melleo felle in suas partes vocando, lactando, abducendo. Deinde, Bibliothecas involando, sacrosancta Patrum scripta corrumpendo, & infinitas periodos, veritatem Evangelicam redolentes, obliterando, expungendo, eradendo, delendo spongia. Testem hîc indicem Expurgatorium voco. O crudele Falsi crimen! Tertiò, Aulas Regias ducales, explorando, turbando, prodendo, & ad nutum Pontificis, cujus $\epsilon\mu\psi\chi\alpha$ sunt $\delta\gamma\gamma\omega\alpha$, ut Aristoteles de servis dicebat, etiam Reges invisos occidendo. Fidem faciunt V Vilhelmus Parrius, Iohannes Clemens, Parricidæ Iesuitæ. Sed quid ago, quòd omnes Iesuitarum artes ad tria redigere conor capita, nondum millesimam dixi partem? Si tamen multa paucis licet dicere, sic de illis dudum cecini:

*Seduc̃tor Sueco; Gallo sicarius; Anglo
Proditor; Imperio explorator: Davus Ibero;*

D 3

Italo

Excrementum Iesuiticum.

Italo adulator; Mendax Indis & ab Indis;

Belgarum lanius: Dixi teres ore SVITAM.

Hi esse volunt nostri fundi calamitas. Et si sine lacrymis possem, narrarem multitudinem sanctorum Martyrum, qui vel consilio, vel applausu horum Iesuitarum morti sunt traditi. Sed nec possum id sine lacrymis, neque possum id per temporis angustiam, numerus enim major assurgit, quam ut pronunciari possit. Dicam tantum, quid quidam Theologorum nostrorum observarit. Memorabile est, quod is ab Anno 1550. usque ad Annum 80. ex indicibus sanguinariis, in inferiori Germania, Gallia, Anglia, Italia, Hispania religionis ergo trucidatos collegerit, Novies centena millia hominum, inter quos fuerunt Triginta novem Principes: Centum quadraginta octo Comites: Ducenti triginta quinque Barones: Ex nobilitate nati, Centies quadragies lepties mille, quingenti & octodecim. Plebani sunt cæteri. At verò, quòtnam myriadas & chiliadas hominum ab anno usq; decimo septimo elapsæ Centuriæ, quo Ecclesia primò reformari cœpit, usq; ad annū quinquagesimū, & postea ab anno octogesimo usq; in hunc diem numerabis? quis supputabit omnes ense, rota, igni, palis, fumo, hastis, prunis, undis, restibus, tormentis, cruce, cultris, veneno, vinculis, virgis, exilio, fame, sclopetis, securi, concisos, confractos, ustos, affixos, fumigatos, confixos, ustulatos, submersos, strāgulos, laceratos, suspensos, excoriatos, extinctos, ligatos, cælos, proscriptos, exhaustos, trajectos, trūcatos? Sed

*Numerus
Martyrū.*

Sed ne sic quidem interim poterat Ecclesia, affligi poterat. Sanguis Martyrum semen est Christianorum, inquit Tertullianus.

Atque ut patientia vicimus persecutiones, ita constantia vicimus discordiam, atque tandem post multam quorundam literatorum velitationem, (de illis tantum sermo mihi est, qui Augustanæ Confessionis locii esse volebant, cæteros nihil moror) aurea pax iterum refulsit. Excitavit enim Deus illustres Heroas & Principes, qui re ad æquilibrium per præstantissimos Theologos revocata, immortale opus Formulæ Concordiæ, (qua Augustanam Confessionem repetebant, & detersis errantium opinionum scoriis pristino nitore restituebant,) ediderunt, & ad latus senescentis Ecclesiæ sanctè fideliterq; deposuerunt.

Tantæ molis erat Christi redducere gentem.

Discite hinc Auditores agnoscere summam Dei Providentiam, qua nihil tam mali evenire sinit, quin eliciat inde aliquid boni: Omnipotentiam, qua frenare potest recalcitrantes Tyrannos, inque gyrum cogere: Misericordiam, qua etiam his ultimis mundi fecibus Antichristum revelare, & Ecclesiam suam Apostolicæ restituere voluit nitelæ, tutelæ: Iustitiam in pœnis hostium Evangelii: Fortitudinem Spiritus sancti in Martyribus, qui lætitia animi, Evangelii causa passi sunt: Sapientiam, quæ hinc splendidissimè elucet, quòd Evangelium suum Deus noluerit (quod potuisset utique) summa rerum pacisque abundantia & quiete in mundum edere: aut poten-

tia,

*Triumphus
Martyrii
& dissidii*

ria, autoritate, & humanæ sapientiæ præfidiis arma-
re, sed per os infantium & lactentium magnam ho-
stium stragem dare, contra nitentibus & dira moli-
entibus etiam portis inferorum, consiliis, Conciliis,
astu, fastu, arte, Marte, vi, fraude, melle, felle, mi-
nis, carnificinis, pace, face, proditionibus, perse-
cutionibus, honore, amore, cruore, precibus, pre-
tio, & nullis non machinationibus, quas qui dicere
velit, ipsius satanæ ingenium, & mille nocendi artes
describat, necesse habet.

Usus hu-
jus ἀνα-
μνήσεως.

Quæ omnia Dei miracula, quorum centesimam
partem vix attingere potui, qui diligentius fuerit me-
ditatus, si Confessionem fidei nostræ nondum agno-
vit, agnoscat ex hac liberatione & conservatione di-
vina, Ecclesiam nostram germanam Apostolorum fi-
liam: Si verò ἐμότης jam est, confirmabitur in fide
amplius, nisi planè sit ἀνοήτος, ἀνόητος, perversæ & ever-
sæ mentis. Habes Providentiam, Omnipotentiam,
Iustitiam, Fortitudinem, Sapientiam Dei in factis,
quid vis amplius? In fide, habes post superstitiones,
pium cultum; post Traditiones, sacram Scripturam;
post bellum, pacem; post discordiam, concordiam;
post persecutiones, Halcyonia; post vulnera, empla-
strum; post tenebras, lucem; post nubila, Solem, quid
vis amplius? O Papa, ubi nunc est aculeus tuus? O
Antichriste, ubi est tua victoria? Banni fulmen, quo o-
lim tonabas, Brutū, à Rege Galliæ & aliis contemni-
tur. Gregorii XIII. sacra bulla, qua eundem excom-
municabat, per carnificem igni sacrata est. Iesuitæ
Hispa-

Hispanicæ factionis caput & sicarii, è Galliis & Anglia exterminantur. Mari excipiebantur nuper, qui marina bella movent. Belgæ in multos se contra Inquisitionem Hispanicam defendunt annos. Pudet ipsos Pontificios detectorum pudendorum Antichristi hæctenus. Euangelicum Dei verbum etiam in ultimam Thulen Islandiam propagatum est. Deo autem gratias, qui nobis dedit victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Quapropter pro felici sequentis anni secularis auspicio, in honorem Dei nostri, cum Psalmista sic jubilemus:

Jubilate Deo omnis terra: servite Domino in lætitia. *Psal. 100.*

Introite in conspectu ejus, in exultatione.

Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Populus ejus, & oves pascuæ ejus: introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis: confitemini illi.

Laudate nomen ejus: quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus, & usque in generationem, & generationem Veritas ejus.

D I X I.



E

Dialo-

Dialogisticum Viatorium,

PRO

CONTENDENTIBVS, AD ANNUM

Iubilæum, Romam.



Vid Romam portas? Aurum. Quid at inde reportas?
Plumbum. Quis reddit plumbea? Papa pater.
Aurea cur plumbo commutat? plumbea namq; est.
Mens populo, fraudes qui nec olet, nec abit.
Cur Bullam indigitat diploma? quòd omnia verba,
Quæ dat, sint bulla ter leviora levi,
Cur Bullam signat piscinum rete? quid illud
Mirum? Piscatur Papa salo atq; solo.
Sed cur piscatur? Petrus piscator in undis.
Olim erat, an non est ille propago Petri?
At cur non pisces piscatur? namq; Staterem
Haud patulo pisces ampliùs ore gerunt.
Quid capit in terris? Animas non captat, at aurum.
Vnde hamus? solitas necit in ore strophas.
Quid perages Romæ? exsolvam me hydrope Crumenæ.
Quid disces? cædes, supra nefanda, dolos.
Quid novi erit Romæ? in rubro Iesuita galero
Bellarminus ibi conspiciendus erit.
Illène Cardineus pater est? Sic fama ait. Vnde id
Promeritus? mendax quòd fuit arte vafer.
Anné potest rubeum gestare Suita galerum?
Non. Cur non? quoniam Regula & Ordo vetat.
Cur ergo hic exlex? quia juramenta, Deúmque,
Votaq; pro pretio, nullius assis habent.
Sed quósnam Papæ persolves hospes honores?
Aurato figam basia multa pedi.
Ast cur non ori? quia spirat ab ore venenum.
Aut cur non manui? namq; cruentam manus.

Auratine

Auratine pedes? quia sordet calceus intus,
Intus & illotos vestit vtrinque pedes.
Nónne pedes lavit, qui alienos abluit? undis
Hos servat stygiis, nunc modò bullit aqua.
Quid dices abiens? vale Roma, cloaca, lupanar,
Et Sodoma, & Babylon, Styx, lupa, Roma vale.


DOMINI DOCTRINA CORONAT.

EPIGRAMMATA

DE SECUNDO, NON
SECUNDO, POST ANGLICANAM
CLASSEM PERDITAM NAUPERDIO
Iesuitico:

*Societati Pseudo-Iesu naviganti, laboranti, & nihil
(IESU OBSTANTE) capienti.*

GRATULATORIA,
ut par est:

 Lim Pontifici faciebant munera tantum,
Sed nunc & ponto, Pontificiq; litant.
Nam sic religio docuit IESUITICA; classis,
(Ní credas) satis id Suecica & Angla docet.
Hei perdunt naves! in aves mittantur. Vterq;
Hos etenim Socios respuit Oceanus.

ALIVD

NON magè terra tulit IESVITA S. æquora tentant
Hispane auspiciis atq; Polone tuis.
Æquora dum tentant, reppugnat & æquor & aër,
Et perdunt remos, carbasa, transtra, rates.

E 2

Sic

Sic tria sunt hostes elementa. Ergo unicus ignis
Restat, cui dentur, fiat ut igne salus,

A L I V D.

DVm maria ingrederis, non exorata **M A R I A,**
Sat **I E S V I T A** tibi est; ergo marina luis.
Sic culpa eluitur. Quam Tybris, Roma, nequîrunt
Eluere, hanc ingens eluat Oceanus.

A L I V D.

SEductor Sueco; Gallo ficarius; Anglo
Proditor; Imperio explorator; Davus Ibero;
Italo adulator. Dixi teres ore Suitam.

A L I V D.

ES SE volunt nautæ, sed nauci sunt **I E S V I T A E,**
Et jactant Artem, nec didicere prius.
Ignorant quid sit, trudes, spira, atq; chamulci,
Aplustrum, & velum, suppara, transtra, dolon.
Ignorant laxare pedem, detergere remos,
Obliquare sinus, vela dare, aut legere.
Ut discant ergo orare & tranare per usum,
Damnate ad remos. Sic venit Artis opus.

A L I V D.

Bis bellum accendit navale **S V I T A**; perit bis,
Bis pereat, cui non sat periisse semel.

DOMINI DOCTRINA CORONAT.



99 7 246

ULB Halle

3


002 039 532



Nur für den Lesesaal







ORATIO PANEGYRICA,

QVA

ECCLESIIS, PER D. LV.
THERVM REFORMATIS,
INDICITUR,

Cum

Auspicio Anni post natum Christum mille-
fimi sexcentefimi,

IVBILÆVS EVANGELICVS.


Pro cuius

SOLENNITATE MAIORI REPETI-
tur & celebratur memoria Operis singulariter mira-
bilis, & mirabiliter singularis, de initio, progressu,
& conservatione S. S. Euangelii, in hunc usq; di-
em, contra astum & factum Antichristi
Romani.

*Habita sub novo Anni currentis auspicio, in
illustri Pædagogio Stetinensi,*

à

Daniele Cramero, D. Pastore,
& Professore ibidem.



WITEBERGAE

Typis Simonis Gronenbergii.

M. DC